



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

Sermo III. Sodalis B. Mariæ V. Qualis, & cuiusnam Domus Ædificator esse debeat. Sapientia ædificauit sibi Domum Prou. IX. I. Ædificate alterutrum, sicut & facitis. Ad Thessal. V. II. Ad sodales ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



SERMO III.  
SODALIS B. MARIE VIRGINIS  
QUALIS ET CUJUS-NAM DOMUS  
Ædificator esse debeat.

*Sapientia edificavit sibi Domum. Proverb. ix. i.*

*Ædificate, alterutrum, sicut & facitis.*

*Ad Thessalon. v. ii.*

*Ad Sodales Marianos.*

---

ARTICULUS I.

B. MARIE V.

SODALIS PARTHENIUS

*Sit oportet Architectus & Ædificator.*



ONSILIUM mihi est hoc anni ad occasum  
properantis, quod superest, modico; &  
per alterius exoriundi post mensem, de-  
cursum, pomeridianis istis in hoc Sodalitatis  
Marianæ congressibus, contempla-  
ri vobiscum, aut contemplandum exponere ornatissi-  
mum, & ad usus cujusque commodissimum Ædifici-  
um. Ad quod non lustrandum modò, sed etiam ex-  
truendum, vel illud ipsum in fundo vestro, si fortasse  
in eo non esset erecta ea fabrica, vel omninò ei gemi-  
num (nam & idem sapius exædificari potest, vel si-  
milli-



millimum illi construi) vos excitare conabor. Ergo, dicit quispiam, nos *Ædificatores* facere cogitas, vel *Architectos*: quæ nomina, eorumque significata, non videntur convenire Sapientiæ alumnis, quales sunt, ac profitentur esse se *SODALES MARIANI*. Immò, eo ipso titulo instigor ad pertractandum argumentum istud: siquidem *Ædificium* designatum est *DOMUS SAPIENTIÆ*: & inter illustres titulos Sodalium Parthenicorum est, esse *Architectum*, & *Ædificatorem*.

*ÆDIFICATOREM*, ajo, non *Porcilis*, pro grunniensibus, quale in se extruunt voluptatibus dediti carnalibus, in quibus, velut nefrendes, assidue grunniunt Cupiditates obscæ. Non *Caula* ovium; qualem in se constituunt homines, non bene simplices, sed malè stupidi, quibus ne mica quidem Sapientiæ, aut discretionis; & à prudentia acrimoniam. Quos idcirco vocamus *Oviculas*, in Conciliis, capitulo, consistorio, Senatu, balantes temper, & ad quidlibet, nullo discrimine, amen, amen ingeminantes, cum nutu, præterea nihil. *Ædificatorem*, dico, non *foveæ*, pro vulpibus; qualem in se fodiunt, muniunt, & ambagibus perplexis fraudulentisque ædificant homines astuti, versipelles, vafri, panurgi, leoninæ, aut ovillæ vulpinam assuere soliti, alienorum avidi, & rapaces, suorum sordidi Eucliones, ac tenaces, quibuscum vulpinandum monet paræmia, & in astutiis malè astutos capiendos.

NON *Idolii*, seu fani idolorum, quale est illorum *Anima*, in quâ per complacentiam, morosamque delectationem, adoratur *Venus*, *Bacchus*, *Cupido*, & tot falsa Numina, ut non habuerit plura ulla *Respublica* idololatrarum. Non *lupanaris*, quale est illorum interior *Concupiscentia*, quæ tot meretriculas, quibus adhæreat recipit, quot allicitur ad vetita carnis illecebris. Deniq; non *Turris Babel* æternæ confusionis. *Ædificatorem*  
tamen



tamen esse debere assero Sodalem Marianum. At qualem? S. Basilius in caput quintum Isaïæ, duplicem docet esse speciem *Ædificandi*, vnâ bonam, ac laude dignam; alteram malam & damnandam: quare distinguit *Ædificatorem* in bonum & malum. Malum designauimus ab opere multiplici, sed adde: Non debere esse *Ædificatorem Caupona*, ad quam diuertant ebriosi, qui in consortium adsciscantur, nepotuli: non *stabuli*, in quo tumultuentur pecudes perturbationum: non *Popinae*, ad quam conuolent gulæ dediti: non *Tonstrinae*, quam occupet Curiositas: non *Gurgustii*, in quo lateat lasciuia: non *Armamentarii*, in quo dominetur furor: non rustici *Mapalis*, aut *Tugurii*, vilibus & agrestibus apri incolis domicilii. Sed debere esse *Ædificatorem bonum*.

## ARTICULUS II.

B. MARIE V.

SODALIS STUDIOsus

**Æ**DIFICATOR si oportet amplissimi Palatii, augustissimæ regiæ, imperatorii habitaculi, basilicæ diuinæ, nempe, *DOMUS SAPIENTIÆ*, quam, vt singuli *Ædificent* strenuè, vtinam persuadere possem omnibus. Nec alienum à se putent *Sapientiæ* candidati eiusdemque *Cientes*, quales nos omnes sumus, munus, aut opificium *Ædificandi*: Nam *Domina Nostra*, *Sapientia* ipsa *Ædificauit*, ipsa fundamentum posuit, ipsa parietes erexit, ipsa contignationes aptauit, & disposuit, ipsa conclauia distinxit ipsa substructionem in altum eduxit: ipsa *Artificem* & *Architectricem* egit; immò, *Latomam*, & *Murariam*: hæc enim omnia continentur breui illa sententia, *Sapientia* *Æ-*

DI-



EDIFICAVIT *Sibi Domum*: ne nobis indecorum putemus, aut nobilitate nostrâ, qui Sapientiæ operam damus, indignum, *ÆDIFICARE*. Quod quidem est adeò consentaneum rationibus, muneribusque Sodalium, ut ij, peculiari quodam nomine, aut epitheto, minus quidem Latine, sed in Ecclesiâ Christiana per quam vsitato, dicantur *Ædificativi*, aut *Viri Ædificationis*. Phrasi S. Pauli Apostoli, qui eximiè pios Thessalonicenses hortabatur, quod initio præfabar.

*ÆDIFICATE alterutrum*. Quid est, *Ædificate alterutrum*? Græcè *ἑἰς ἑὸν ἕνα*, id est unus unum, alius alium, seu vos mutuo, invicem. Haud dubiè est metaphora desumpta ab *Ædicatoribus*. Quemadmodum enim qui murum ædificat, eumque sensim erigit, & attollit, lapidem lapidi jungendo, & deinde cum plures fuerint, tectum imponit, sicque domum perficit: ita qui in Anima suâ unam virtutem alteri copulat, & imponit, qui fidem, spem, caritatem, prudentiam, justitiam fortitudinem, temperantiam, & his adnexas virtutes conjungit, ædificium quoddam honestatis ac religionis extruit. Qui verò Christianè vivendo, suâ sobrietate, modestia, lenitate, patientia, devotione proximum erigit & excitat, is eum ad similia incitando, *Ædificare* dicitur: nimirum, ut in ipso fiat *Domus*, immò, ut ipse fiat *Domus*, & *Templum sanctum Augustum*que, in quo inhabitet, & colatur *Dominus*. Ne dicas, inquit; *Theophylactus*, locum illum Pauli exponens: non sum *Doctor*, non sum *Magister in artibus*, non sum *Præceptor rudium*: ad damus nos: Non sum *Ecclesiasticus*, non *Concionator*, non *Religiosus*: alios docere, & ædificare non teneor. falleris, ac temet ipsum decipis: *Doctores*, *Magistri*, *Religiosi*, non sufficiunt ad singulorum & omnium admonitionem, doctrinam, exemplum; sed vult *DEUS*. quemcumque alium instruere se, ac proximum, & *ÆDIFICARE*. Vult



VULT Superiorem, sive politicum, sive Ecclesiasticum, *Ædificare* subditos, religione erga DEUM, commiseratione erga afflictos, liberalitate erga pauperes, affabilitate erga omnes. Vult subditum *Ædificare* Magistratum, obedientia legum, veneratione superiorum, amore concivium, ac quorumcunque æqualium. Vult Patrem familias *Ædificare* domesticos, verbo, & exemplo: Verbo instructionis bene instituendo, monendo, arguendo consolando, reprehendendo: exemplo vigilantia, sobrietatis, continentia, mansuetudinis, pietatis. Vult Filium familias *Ædificare* fratres, ac sorores, amore, ne dicatur: fratrum quoque gratia rara est in domo illa; obsequendi promptitudine, modestia. Vult studiosum litterarum *Ædificare* Socios, vigilantia, diligentia, laborandi assiduitate. Vult Medicum *Ædificare* ægros, indefessa cura, humanitate, longanimitate. Vult Jurisperitum *Ædificare* opis indigos suæ, accurata causæ discussione, Juris sincera declaratione, injustitiæ demonstratione, denique pauperum patrocinio. Vult Judicem *Ædificare* reos & actores, depositione affectus proprii, sententiæ æquitate, supplicii diminutione potius, quàm exaggeratione. Vult Principem Ecclesiasticum *Ædificare* suos Clericos, reprehensione ad emendationem, devotione ad sanctitatem, exemplo ad omnem virtutem statui clericali convenientem. TALIS fuit *ÆDIFICATOR* S. ANNO Colonienſis Archiepiſcopus, cujus festum colit hoc tempore Colonienſis Ecclesia. De quo tria sunt in hoc genere imitatione digna. *Primum*, reprehensio gravis & efficax Clerici, quem animadvertens in Trini Numinis glorificatione; quæ psalmis in choro subjungitur, Filii personam omittente, nil moratus eum corripuit: & sequuta mox est emendatio *Secundum*, devotio peculiaris erga Sanctissimam TRINITATEM & DEIPARA-

RAM;



RAM, cujus erat studiosissimus Sodalitatis Marianæ institutor & conservator Ejus patrocinio utendum, nitendumque esse prædicabat; &, ut facerent ii, quibus præerat, frequenter admonebat. *Tertium*, virtutum Principi Ecclesiastico maximè convenientium exercitatio: nam revera ANNO Archiepiscopus omnium Pastoralium virtutum laude, imprimisque, sollicitudinis, zeli, religionis, benignitatis & misericordiæ enituit, PRINCEPS, si quis alius, ÆDIFICATIVVS.

QUI sibi commissos monendo, & exstimulando ad altiora, vsurpabat haud dubiè illud Apostoli: *Ædificate alterutrum*; Clericus Clericum, Aulicus Aulicum, Sodalis Sodalem, professione cultus Mariani, exactâ mandatorum Dei obseruatione, consiliorum Euangelicorum spontanea susceptione, Sacramentorum frequèntatione, pietatis, humanitatisque, inter se ac cum alijs officijs. Fortasse bonus Pastor adiungere potuit de suis Colonensibus, quod subdit feruens Zelator, amatorque gregis Paulus de suis Thessalonicensibus, eos commendans ab hac metaphoricâ Domus Sapientiæ ædificatione: *Sicut & facitis*. Vtinam de nobis idem posset usurpari! Sed si non fecimus hæctenus, emendemus in melius, quod vel ignorantes, vel negligentes peccauimus.

## ARTICVLVS III.

## CARITAS ÆDIFICAT.

*Per quam Ædificator constituitur*

## SODALIS MARIANUS.

FREQUENTER ab Architecturâ petitâ metaphorâ utitur Doctor Gentium, ut exstimulet fideles. & inter illos potissimum DEO peculiariter caros, quales sunt, si nomini suo respondeant, *Parthenii Sodales*, ad

*Prima pars*

C

Ædi-



Ædificationem illam figuratam, & doceat, quàm sit proprium Christianorum ad perfectionem virtutis magnis passibus tendentium, esse *Ædificantes*. In priore epistolâ ad Corinthios cap. VIII. *Scientia*, inquit, *inflat*: *Caritas verò ÆDIFICAT*. Ubi Apostolus ex intima Theologiâ Christi, in quâ erat verlatissimus, videtur respondere ad quoddam quæsitum, quod alicui in hac re difficultatem parere posset. Satiùs-ne sit in Republicâ Christianâ, *Doctorem* esse scientiâ instructum variâ, an *Ædificatorem* Architecturæ peritum? Respondet autem assertivè, quod sit melius, excellentius, utilius, esse *Ædificatorem*, quàm *Doctorem*. Quod probat implicite ex utriusque formâ, à quâ rei cuiusque sumitur natura & excellentia. Siquidem forma, quæ *Doctorem* verè constituit est *Scientia*: nam promotio, sive inauguratio, quâ conferuntur *Doctores* insignia, *Doctorem* realem non facit, sed verbalem, aut titularem, nominalem quæ, & inanem, si scientiâ careat. Ut ars fabrilis fabrum, pictoria pictorem, sculptoria sculptorem, ita scientia, sive doctrina facit *Doctorem*.

Quid autem efficit *Ædificatorem*? *Caritas*. Quænam autem ex duabus istis formis excellit? Id desumendum indicat Paulus, ex effectu utriusque. *Quis est effectus Scientiæ sine caritate?* *scientia*, inquit, *inflat*: id est, facit, ut quis superbiat, ut se ipse extollat, ut alios quos pro ignorantibus habet, despiciat, ut ingrediatur, instar follis ventodistenti. Hoc enim innuit vox Græcæ. *ὄψισι*. Talis est ventosa *Scientia*. Hinc superbus Diabolus dictus est *δαίμων*, quasi *δαίμων*, id est, doctus, apertus, sciens, inquit Plato in Cratylo. Superbum ergo facit ventosa *Scientia*, ait Apostoli interpretes S. Anselmus, *Nisi Caritate temperetur*. At *Caritatis* effectus est, quod *Ædificet*, id est, ignorantes instruat, rudes impietate, omni quæ alia virtute promovet: quod de se modeste



de se sentiat, nemini se arroganter præferat, quamvis major sit multis, aut omnibus, genere, dignitate, ingenio, sapientiâ. Quod est multo præstantius, quàm eximia multarum rerum præditum esse scientiâ. Itaque fatius est, magisquæ optandum in Republicâ Christianâ *Ædificatorem* esse, quàm Scientiarum variarum *Doctorem*.

ARTICULUS IV.

ACTIONES ARCHITECTONICÆ.

*Sint oportet cujuslibet Christiani, & multo magis.*

SODALIS PARTHENICI.

**A**LIBI Apostolus, ut *Sapiens Architectus*, vel insinuat, vel clarè edicit, omnes actiones hominis Christiani debere esse *Architectonicas*, seu *Ædificativas* & se quidem ad hanc normam examinasse operationes quas cumque cum dubitatio incideret, faciendum-ne sibi aliquid esset, an sequus? Illustris est in hanc rem sententia I. ad Corinthios x. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia Ædificant.* Loquebatur de ijs, quæ ad japhora, sive indifferentia sunt, non per se mala: vt comedere, bibere, ambulare, ludere: quale erat etiam eo tempore, vesci idolo thytis, non quasi Sacris, aut idolo immolatis carnibus sed quasi communibus cibis. Itaque dicit Apostolus, Ego, qui scio, illud peccatum non esse, & nullâ lege prohiberi carniū illarum comestionem, bonâ conscientiâ iis vesci possem. Sed si viderent id iguorantes, infirmi in fide, scrupulosi scandalizarentur, certè, non ædificarentur: ideo mihi abstinendum est; quia sum arte *Architectus*, officio *Ædificator*, quâ Christianus, cujus omnia dicta & facta debent esse *Ædificatoria*.

QUAM frequenter dicendum esset Sapientiæ Cultor-



toribus & DE PARÆ Sodalibus: *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant?* & consequenter abstinendum [a] multis, alioquin haud vetitis, quando in his illi que circumstantiis non ædificant. Agatur exemplis. ECCLESIASTICI, quamvis aliquando excusatione legitimâ uti possint, cum templum unde redditus habent, & pinguem mensam, statis temporibus non frequentant, tamen id non ædificat: sicut quod in Choro non cantent, Sed multo minus ædificat, in Choro fabulari, joculari, nugari, cachinnari, cum canibus ludere. Nequaquam ædificat, sed scandalizat gravissimè, sæpius in popinâ, aut symposiis reperiri, quàm in vesperis: attentius & frequentius Amadisium legere, quàm Breviarium: plures fæminas & focarias domi alere, quàm famulos. PATRIBUS FAMILIAS multa licent domi, sed non ædificant, si coram filiis & filiabus, ac domesticis aliis dicantur, vel agantur: atque idcirco, os continendum, manus frenandæ. MAGISTRATUI multa licent in civibus: domino in servos: magistro in discipulos: parenti in filios. sed non ædificant; ea-propter omittenda. CLERICO licet ornare moderatè corpus. Sed volitare per plateas instar præci, aut sponsi, qui aliam sponsam quàm Ecclesiam suam ambire non debet, prodire cincinnatum, portare thoracem fenestratum, tibialia variegata, calceos rotulis ansatos, profectò non ædificat. Licet RUSTICO aliquid in corporis cultum expendere, sed curare sibi vestes, quæ sunt propriæ urbicorum, aut etiam aulicorum. Et civem ejusque filium vestiri ut nobilem, hunc ut principem, non ædificat, ideoque, ut moderatio adhibeatur curandum. Licet aliquando lautè excipere cognatos, amicos, hospites convivium institueri, dare epulum; sed illud apparari à mercatore, quamvis opulento, à Senatore, licet divite, à Doctore, quamquam locuplete, instar convivii Consularis,

Prin-



Principalis, Pontificalis, Cæsarei, sanè non ædificat: atque idcirco modus esset adhibendus. Qui cùm in aliis Germaniæ Rebus publicis, tum in hac Catholicâ maximoperè optatur, quod leges sumptuariæ in vestitu, & convivendi ratione, vel nunquam videantur latæ, vel non-usu abolitæ, vel usu contrario antiquatæ, quorundam scandalo, sed ipsorum maximè, qui tales apparatus faciunt, detrimento.

IT AQUE, quamvis multa, immò, omnia adjaphora, liceant, non tamen omnia *Ædificant*. Vnde pessima est consequentia in Dialecticâ Christianâ: Hoc illudve non est peccatum, aut lege divinâ humana-ve non est vetitum. Ergo mihi liberè dicendum, scribendum, agendum. Suntque ignari Ethices Evangelicæ, quæ nobilior est, quàm omnis Aristotelica, qui existimant Ecclesiastem, sive Concionatorem, tantummodò reprehendere debere ac agere contra eos, qui quæ per se mala sunt, committunt, quod si non sint peccata genere suo non debere attingere, aut prohibere. Quod est manifestè contra doctrinam Apostolicam: ex quâ habemus, Christianos non arcendos solum ab iis, quæ apertè sunt crimina, verùm ab omnibus iis, quæ non *Ædificant*. Quamvis enim illa, si in se spectentur, et, ut loquimur in Scholis, materialiter sumpta, non sint mala, ut criminis nomen mereantur, tamen per accidens ea vitanda sunt, & non licent, quia scandalum ingenerant. Atque, ut optimè dixit Clemens Alexandrinus: lib. 3. Stromat. *Qui faciunt quicquid licet, facile dilabuntur, ut faciant, quod non licet.* Neque hoc est conscientiam erroneam, auditoribus, pœnitentibusque suis ingenerare, ut putent esse peccatum, quod in se non est, tale; sed est, conscientiam ipsorum nimis laxam spaciosamque, ut plaustra etiam defectuum transmittant sine sensu, ad convenientes moderationis angustias redige-



re: sibi ut persuadeant, non quæ licent, sed quæ simul ædificant, posse securè absque conscientia remorsu perfici.

## ARTICULUS V.

ARCHITECTUS CHRISTIANUS.

*Et Ædificator Sodalis, primùm in se tum in aliis*

ÆDIFICAT.

**H**OC Evangelici Ædificatoris munus exigit, quod proprium est hominis Sapientia Christiana dediti, qualis esse debet SODALIS VIRGINIS DEIPARÆ. hic semper oportet ædificet *Domum*, primùm in se, tum in aliis. Nam ut alios, vel in aliis, quispiam ædificet, requiritur, ut in se id primò faciat. Possè autem quempiam Ædificare se, docet Paulus Apostolus in priore ad Corinthios XIV. cap. ubi disputans, quodnam Spiritus-sancti donum sit præferendum, *Prophetare*, id est, exponere Sacram-scripturam, docere arcana DEI, verba facere de cælestibus ac divinis, concionari ad mores instituendos idoneè: an *linguis loqui*, seu, habere donum linguarum, ut in primitiva Ecclesia sepe contingebat, cum multis linguis aliqui loquebantur, & psallebāt, cum multorum admiratione & Ecclesie gaudio. Respondet autem ipse, *Dono linguarum esse præferendam Prophetiam* eo modo acceptam: quod hæc perutilis sit ad *Ædificationem* aliorum, quos edocet *Propheta, Ecclesiastes, Concionator* de rebus ad salutem spectantibus. Quare qui sic prophetat, *Ecclesiam Dei Ædificat*, inquit Apostolus. Qui autem *lingua loquitur*, quam nimirum alii non intelligunt, semet ipsum Ædificat, non instruit alios, non consolatur, non hortatur ad meliora.

UTRUM



UTRUMQUE autē si jungatur perfectum facit *Ædificatore*, qui imprimis se ædificat, facitque *Domum Sapientia*. contemplatione rerum cælestium, affectionibus piis, desideriis spiritualibus, internis pietatis actibus, exercitatione virtutum variarum, quas dum copulat caritate, haud secus ac lapides calce jungit, ut exurgat *Ædificium* DEO dignum habitaculum, seu regia Sapientia. Quam gravissimi Patres quidam dicunt (a) esse ipsam Animam hominis, secundum legem DEI sapientis, qualis est omnis Justus, siue DEO carus, quem titulum sibi meritò vendicat DEIPARÆ SODALIS omnis. Alii non Animam volunt esse illam Domum, sed in Anima, virtutem congeriem ritè dispositam, & Caritate conglutinatam suo cum fundamento, parietibus, conignationibus, conclavibus, tecto, ut suo tempore explicabitur. Utrumque veritati est consentaneum, & cum utroque sensu optimè cohæret, quod *Domus* illa, quam ædificando se lustus extruit, sit in ipso illo homine. Qui deinde *Ædificat* alios: & Verbis, quando loquendum, proferendo sermonem *Ædificationis*, ut loquuntur Magistri spirituales: & *Factis*, dum operandum faciendo omnia secundum præscriptum rationis & prudentiæ, ad *Ædificationem*. Sic igitur quilibet virtutis perfectæ studiosus, piusque *Sodalis*, per Spiritus sancti, & Christi, qui est Sapientia Patris, gratiam, *Ædificat* Domum, vel Animam, vel in Anima, dum gratiæ cooperatur: tunc enim in ipso consurgit palatiū, regia templum virtutis & sanctitatis, in qua sanctissima TRINITAS mansionem suam habet, immodò cænare non dedignatur. *Siquis audierit vocem meam, & apparuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum,*

C 4

dicit

(a) Athanas. Orat. contra Arianos & Disput. contra Arium in Conc. Niceno. Chrysostr. seu Auctor Operis imperf. homin. 29. in Matth. Bernard. ser. 3. de Advenc. S. Bonav. sermone de ingressu in Sapienc.



dicit humanissimus Dominus, Apocalypsis tertio, & apud Joannem cap. xiv. *Si quis diligit me sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

SUA VISSIME S. Bernardus, & huic Adventus tempori accommodatissime (a) *Beatus apud quem mansionem facies Domine JESU, Beatus in quo Sapientia ædificat sibi DOMUM, excidens columnas septem: Beata Anima, quæ Sedes est Sapientia. Quæ est illa? Anima utique Justæ. merito plane, quia Justitia & Judicium præparatio Sedis tuæ. Quis in vobis est, Fratres, qui desiderat in Anima sua Sedem parare CHRISTO? Ecce, quæ-nam illi serica, quæ tapetia, quæ pulvinaria oporteat præparari? Justitia, inquit, & Judicium præparatio Sedis tuæ. Justitia virtus est, quod suum est, unicuique tribuens. Tribue ergo tribus, quæ sua sunt. Redde Superiori, redde inferiori, redde æquali, quod debes cuique, & digne celebras Adventum CHRISTI, parans Ei in Justitia Sedem suam. Redde, inquam, reverentiam Prælato, & Obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis est. Redde æquali consilium, quo eget. Redde inferiori auxilium, quod expectat. Adde Judicium, quo nos coram DEO indicemus, ac humiliemus. Hac planè est digna Sedis præparatio Domino Majestatis, ut & Justitiæ mandata studeat quis observare, semper indignum se se & inutilem arbitretur.*

ITAQUE Sodalitas quilibet, immò fidelis omnis Christianus, pro suo quisque statu, ac conditione, ut officio satisfaciat suo, debet esse re ipsa ÆDIFICATOR, ac in se aliisque extruere DOMUM SAPIENTIÆ. Quam si in in Anima vestrà ædificatam ornatamque invenerit, ad vos veniet, mansionemque apud vos faciet, quod vobis impensissimè precor, Jesus Parvulus. Quem interim quotidie, semel, bis, ter advocate: O Sapientia! veni ad doceendum nos viam prudentiæ. O Adonai! veni ad redimendum nos in brachio extento. O Radix Jesse! ve-



ARCHITECTUS CHRISTIANUS. 41

ni ad liberandum nos, iam noli tardare. O *Clavis David!*  
Veni & educ vincitum de domo carceris, sedentem in  
tenebris & umbra mortis. O *Oriens splendor lucis æter-*  
*næ!* O *Sol Justitiæ!* veni & illumina sedentes in tenebris,  
& umbra mortis. O *Rex Gentium:* veni & salva homi-  
nem, quem de limo formasti. O EMMANUEL!  
veni ad salvandum nos :  
Domine DEUS Noster.



SERMO VI.

ANALOGIA MULTIPLEX

Inter Officia Architecti, & Amatoris Sapientiæ,  
Virtutumque Studiosi.

*Sapientia edificavit sibi Domum. Proverb. ix. 1.*

*Volens Turrim edificare, prius sedens computat sumptus,  
qui necessari sunt. Lucae xiv. 28.*

---

ARTICULUS I.

ARCHITECTUS CHRISTIANUS

*Quis nam sit? Quis item Amator, Cultorq; Sapientiæ  
Quis virtutum Studiosus?*



APIENTIAE Amator cultorque est, nostrâ  
descriptione, *Qui litterarum, doctrinae-ue stu-*  
*dium, virtutum exercitationi copulat. vel, Homo*  
*virtutum solidarum, & doctrinarum ornamentis*  
*excultus.* Nimirum, qui Pierati aut Religio-  
ni, seu virtutum Christianarum fundamento doctrina-  
rum augustissimam Domum *Ædificando* imponit. Quid

C s

hoc